

ad jecur, eique adhaerent. Atque inde aliae pertinentes sunt, per quas cadit cibus a jecore delapsus. Ab eo cibo quum est secreta bilis iique humores, qui ex renibus profunduntur: reliqua se in sanguinem vertunt, ad easdemque portas jecoris confluunt, ad quas omnes ejus viae pertinent; per quas lapsus cibus, in hoc ipso loco in eam venam, quae cava appellatur, confunditur, perque eam ad cor confectus jam coctusque perlabitur; a corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes. Quemadmodum autem reliquiae cibi depellantur tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus, haud sane difficile dictu est; sed tamen praetereundum est, ne quid habeat injucunditatis oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturae. Nam quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primo ab ipso spiritu, dein a concitatione pulmonum: ex eaque pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quem ventriculum cordis appellant: cui similis alter adjunctus est, in quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit. Eoque modo ex his partibus et sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. Utraeque autem crebrae multaeque toto corpore intextae vim quandam incredibilem artificiosi operis divinique testantur. Quid dicam de ossibus? quae subjecta corpori mirabiles commissuras habent, et ad stabilitatem aptas, et ad artus finiendos accommodatas, et ad motum, et ad omnem corporis actionem. Huc adde nervos, a quibus artus continentur, eorumque implicationem toto corpore pertinentem; qui, sicut venae et arteriae, a corde tracti et profecti, in corpus omne ducuntur.

Cap. LVI. Ad hanc providentiam naturae tam diligentem tamque sollertem adjungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantae res hominibus a diis, quamque eximiae tributae sint: qui primum eos humo excitatos celsos et